

SPECIMEN CERTIFICAZIONE IN LINGUA LATINA LIVELLO B2

USR EMILIA ROMAGNA – CUSL 2018

N.B. I primi sei esercizi della prova coincidono con il B1

ESERCIZIO N.7

Lineas crassis litteris notatas in Italicum sermonem verte

Pulcrum, dii boni, facinus Graecarumque facundiarum magniloquentia condignum M. Cato libris originum de Q. Caedicio tribuno militum scriptum reliquit. Id profecto est ad hanc ferme sententiam: Imperator Poenus in terra Sicilia bello Carthaginiensi primo obviam Romano exercitui progrederitur, colles locosque idoneos prior occupat. Milites Romani, uti res nata est, in locum se insinuant fraudi et perniciei obnoxium. Tribunus ad consulem venit, ostendit exitium de loci importunitate et hostium circumstantia maturum. "Censeo," inquit "si rem servare vis, faciendum, ut quadringentos aliquos milites ad verrucam illam" - sic enim Cato locum editum asperumque appellat - "ire iubeas, eamque uti occupent, imperes horterisque hostes profecto ubi id viderint, fortissimus quisque et promptissimus ad occursandum pugnandumque in eos praevertentur unoque illo negotio sese alligabunt, atque illi omnes quadringenti procul dubio obtruncabuntur. Tunc interea occupatis in ea caede hostibus tempus exercitus ex hoc loco educendi habebis. Alia nisi haec salutis via nulla est." Consul tribuno respondit consilium quidem istud aequem providens sibi videri "sed istos" inquit "milites quadringentos ad eum locum in hostium cuneos quisnam erit, qui ducat?" "Si alium" inquit tribunus "neminem reperis, me licet ad hoc periculum utaris; ego hanc tibi et reipublicae animam do".

Consul tribuno gratias laudesque agit. Tribunus et quadringenti ad moriendum proficiscuntur. Hostes eorum audaciam demirantur quorsum ire pergent, in exspectando sunt. Sed ubi apparuit ad eam verrucam occupandam iter intendere, mittit adversum illos imperator Carthaginiensis peditatum equitatumque, quos in exercitu viros habuit strenuissimos. Romani milites circumveniuntur, circumventi repugnant; fit proelium diu anceps. Tandem superat multitudo. Quadringenti omnes cum tribuno perfossi gladiis aut missilibus operti cadunt. Consul interim, dum ibi pugnatur, se in locos tutos atque editos subducit.

ESERCIZIO N.8

Responde breviter Latino sermone

- 1) Quis Caecidii tribuni res gestas narrat et ubi ?

2) Cur tribunus et quadringenti Romani milites ad moriendum proficiscuntur ?

3) Quam fortunam consul Romanus adiit ?
